

# QUID MALIS DISCIPULIS ACCIDERE POSSIT? SIVE DE ARTE STUDENDI ET MORIENDI. . .

Iohannes Odstrčilík

*www.litteraelatinae.eu*

CESARIUS. QUIDAM SCOLARIS PARISIUS DUM ESSET DURI INGENII, labilisque memorie minusque posset capere ut retinere, ab omnibus irridebatur, et ydiota indicabatur. Cui propter hoc turbato et confuso dyabolus apparens omagium<sup>1</sup> ab eo sibi fieri postulavit et omnes  
5 sciencias ei promisit. Scholaris hoc renuente sed tandem consentiente, dyabolus in illius manu lapidem inclusum reliquit dicens: *Quamdiu lapidem istum in manu tenueris, scies omnia*. Ille ergo surrexit, scolas intravit, quesciones proposuit et dissoluit, omnesque disputando superavit, mirati sunt omnes unde ydiote tanta scientia provenisset et  
10 ille vero causam nulli homini revelavit. Non multo post ad mortem infirmatus et de his confessus, lapidem fallacem scienciam proiecit. Ipso autem mortuo cum circa corpus psalmos decantarent, demones animam eius tollentes et ex parte cuiusdam vallis sulfuree se ordinantes,<sup>2</sup> ad modum ludi pile, una pars animam proiebat, alia ex  
15 altera parte vallis illam unguibus pro acutissimis excipiebat. Tandem dominus misertus eius, quia deceptus fuerat, ad corpus rediens et resurgens, circumstantes in fugam convertit. Descendensque de feretro,<sup>3</sup> ordinem Cisterciensem intravit. Ubi penitencia durissima se qua diu vixit afflixit. Item Sciencia nigromancie est mors anime.

20 DUO IUVENES APUT TOLETUM studebant in Nigromancia, unus illorum alium ad mortem infirmatum rogavit ut ei infra XX dies appareret. Quod ille concessit si ei permissum fuerit a domino. Quo infra predictum terminum socio apparente, requisivit illum de statu suo. Qui respondit: *Ve mihi quia dampnatus sum propter scienciam quam*  
25 *didici dyabolicam. Confido autem tibi ut eam dimittas*. Qui eius consiliis acquiescens, ordinem Cisterciensem intravit.

ITEM UNUM NIGROMANTICUM tempore adhesionis nigromancie tam pauper quod mirum fuit, et aliis scienciis fuit ladabiliter eruditus, adhuc nullam fortunam habere valuit. Abiecta vero nigromancia,  
30 laudabiliorem fortunam vite habuit, et huius causa fuit plaga dei, qui per miserias admonebat ipsum cessare a tali arte infernali. Ach doleo, quod multi talibus supersticionibus sunt circumdati, de vulgo et literatis. Et precipue mulieres sunt multis erroribus talibus dyabolice illaqueate, nam valde cito credunt et cetera.

Chirographum, cuius, benigne lector, excerpta hac in pagina invenies, in secunda saeculi XV. parte in Bohemia in monasterio Cisterciensi in *Dolano prope Olomucz in Moravia* confectum est atque hodie sub signatura M I 357 in Bibliotheca scientiarum Olomucensi servatur. Auctorem monachum Cisterciensem, haud ineruditum litterarumque expertem constat, quod nomen autem ei fuerit, ignoratur. Opusculum, quod paginis plus quam XC continetur, omnia necessaria ad prospera et efficacia studia tractat, inter quae et ars valetudinis et *latinisacionis optima* praecepta et artium descriptiones liberalium et multa alia numerantur.

<sup>1</sup> *omagium* vel *homagium* est obsequium, cultus

<sup>2</sup> *se ordinantes*, i.e. se disponentes

<sup>3</sup> *feretrum* est instrumentum, quo cadavera efferuntur ad sepulturam

COMPETIT NAMQUE STUDENTI MULIEREM NON INSPICERE. Volo tibi etiam reserare<sup>4</sup> de uno pravissimo maximoque onere dyabolico, heu nunc communiter currente ex concupiscenciaque carnis oriente quod amasiatam<sup>5</sup> appellant hospitalem. Generatur enim ex continuo desiderio habicionis<sup>6</sup> mulierum, totaliter quando homo uno tempore affectat<sup>7</sup> mulierem aliquam[. . .] Concupiscencia carnis est morbus anime nocivior aliis viciis, quia ad eum etiam natura inclinatur.

<sup>4</sup> *reserare* est speciatim secreta et incognita patefacere

<sup>5</sup> *amasiata* ab verbo *amasiae*, i.e. amicae, quae ab amasio in deliciis habetur

<sup>6</sup> *habicio* est actus habendi

<sup>7</sup> *aliquem affecto* significat aliquem concupiscere

EST EXCESSIVUS AMOR MULIERUM, passio passionum, exhaustio corporis, miseria miseriarum, nequicia nequiciarum, stulticia stulticiarum, ale dybolice, vehiculum infernale, curia luciperi, campus florens demoniacus, caritas infusa demonis, maliciosum impedimentorum impedimentum, quod comedere nec bibere sinit, devocionem oracionis nec diligenciam studii permittit, dormire confringit, animum semper vexat, oculos execat, verecundiam omnino aufert, virtutes collidit, aggressum<sup>8</sup> ceterorum bonorum assecucionis fortiter prohibet, sed potenter movet hominem singulas vires continendo inmoderato desiderio pro muliere habenda ad actum delectacionis carnalis.

<sup>8</sup> *aggressus* hic pro actu incipiendi aliquam rem